

tem, ut si miraculose alicui detur filius, qui utique est aliquid naturale, aut si sanitas detur ratione Sacramenti, aut ex miraculo, ordinem gratiæ supponit in genere causæ efficientis, et illud naturale in ratione subjecti præcedit gratiam quam suscipit, et secundum quod est a causis naturalibus præcise, semper est prior ipsa gratia, et ordine supernaturali sibi adveniente.

XLIX. Ex quibus fit, quod voluntas divina ordine quodam prius intelligitur attingere bonitatem suam quam creatam, quia illa est primum objectum, ista secundarium. Et inter res creatas prius intelligitur conditionata decreta habere, aut simplicem voluntatem, quam efficacem, vel decreta absoluta. Unde et voluntas simplex aut conditionata vocatur antecedens a Thoma efficax seu absoluta, consequens; quo nomine ipsa prioritas, et ordo designatur. Deinde, inter efficaces voluntates, prior est ordo intentionis circa finem, quam electionis circa media, vel præordinationis, et executionis de illis et applicatione ad opus, eo quod finis est ratio derivandi media, cum sit id cuius gratia. Inter ipsas voluntates efficaces non est distinguere instantia, vel prioritates circa ea, quæ requiruntur necessario ad efficaciam, ut, v. g. quod prius attingatur aliquid secundum rationem communem, vel abstractam, deinde secundum conditiones magis contractas et individuales, quia efficax voluntas ut efficax non attingit aliquid sub abstractione. Et ideo non stat efficaci decreto prius esse volitam Incarnationem abstrahendo a carne passibili vel impassibili, redemptore vel non redemptore, etc. sed semper quod ponitur voluntas efficax sub quacumque prioritate, debet attingi objectum sub ea conditione, et dispositione, qua respiciat esse, et de facto sit, quod et

conditione individua, et sub his conditionibus, sine quibus in se non potest determinate concipi ut de facto ponatur; efficacitas enim essentialiter concernit et respicit esse, non ab illo præscindit, et consequenter individuationem. Distingui ergo debent prioritates in decretis efficacibus, secundum diversos ordines et dependentias seu causalitates, secundum quas unum præcedit, et prius dicitur alio de facto et in se, non secundum prioritates abstractionis, et contractionis quæ potius extraneant aliquid ab ordine efficacitatis. Finis autem est prior mediis, et media executione, et in ipsa executione unus ordo rerum præcedit alium, ut ordo naturæ ordinem gratiæ, secundum diversas dependentias aut causalitates unius erga alium, juxta diversum genus causæ. Inter voluta autem disparate se habentia, non assignatur prius et post, neque ordo in instantibus voluntatis, licet distinctio, seu diversitas a nobis concipiatur, secundum quod intelligitur attingere unum, et non consideratur aliud.

ARTICULUS II.

An circa liberos actus creatos Deus habeat decreta ex natura sua efficaciam, an ex suppositione prævisi consensus nostri, ex se autem solum indifferentia?

Pro intelligendo puncto difficultatis duo oportet explicare. Primum, quid intelligamus nomine decreti ex natura sua efficacis, vel ex natura sua solum indifferentis.

Secundum, quæ sit ratio controversendi hoc specialius circa actus liberos nostros, quam circa cæteros effectus creatos, quia in reliquis videmur pro certo relinquere, quod

efficacia Dei sit omnino absoluta, et independens a prævisione comparisonis causæ creatæ, solum autem in liberis actibus invenimus scrupulum, ut non nisi eorum consensu præviso possit Deus efficaciter velle quod sint.

I. Circa primum, nomine decreti ex natura sua efficacis, generaliter intelligimus decretum sua virtute independenti a creatura nihil ex parte creaturæ expectans vel supponens, sed totum ex se causans et suo influxu tangens effectum, vel causam inferiorem movens (quod etiam ad effectum ejus spectat.) Et quia divina virtus si influit, et tangit aliquem effectum, frustrabilis est, quia potestati, et voluntati ejus nil resistit; cum agat per infinitam virtutem, ideo decretum sua virtute seu natura (idem est ibi natura quod virtus) tangens et influens in effectum, efficax est ex se, non ex adjunctione et denominatione alterius extra se. Unde huic decreto ex natura sua efficaci contraponitur decretum quod solum est efficax ex aliquo extrinseco extra se et sic vocatur indifferentis, non quia indifferentiam nostræ libertatis conservat tantum, sed etiam, quia se non habet aliud quam offerre duplicem concursum vel agitationem ad duplicem actum, expectat autem ut determinet se voluntas ad quod voluerit, et tunc concurrat Deus eo determinato influxu quem voluntas eligit. Itaque decreta ista indifferentia sunt, quæ ex vi suæ virtutis influxivæ in nostram voluntatem non habeant connexionem antecedentem cum effectum, id est, cum consensu, quia non determinant illum, sed habent consequentem, ratione scilicet mediorum, quæ adhibeat, quibus positus consequitur effectus juxta quod voluntas illis allecta et mota se determinat dividendo per scientiam mediam quod medium in hac vel illa occa-

sione de facto trahet voluntatem ad consensum, quod non.

Et sic reducitur tota ista quæstio ad hoc, an decreta divina circa actus nostros liberos ut liberos, sint efficaciam ex sua virtute causativa, et influxiva in voluntatem, an ex præsuppositione et expectatione alicujus extra se. Quod autem extra se est, aut sunt media moraliter attrahentia et inclinantia voluntatem, de se autem indifferentia, et hæc non sufficiunt ad efficaciam infallibilem (qualis est divina) quia indifferentia sunt, et circa ipsa redit eadem difficultas, quomodo vim habeant determinandi antecedenter voluntatem: hanc enim ex Deo habere debent cum ex se non habeant sufficientem et infallibilem, sed indifferentem; et sic perinde erit ab ipsis infallibiliter determinari voluntatem et a Deo, qui dat illam: aut est ipsa determinatio et consensus voluntatis consequens ad media sic proposita, et tunc est difficultas, an ex hac prævisa a Deo per scientiam mediam, hauriat divinum decretum efficaciam infallibilem per modum denominationis extrinsecæ in decreto a prævisione actus, non per modum efficientis de se et causantis eam, sed solum præscientis ante omne decretum suum.

Circa secundum, triplex genus effectuum in hac parte distinguitur.

II. Primum est, quod a solo Deo procedit sine consortio causæ creatæ, ut creare Angelum, glorificare animam, dare primam vocationem, etc.

Secundum, quod procedit a Deo cum consortio causæ creatæ, sed non liberæ, ut illuminare, quod procedit a sole, ignire ab igne, etc.

Tertium est, quod procedit cum consortio causæ liberæ, et est effectus liber, ut actus amoris Dei, actus

justitiæ, vel temperantiæ, etc. De duobus primis non est controversia inter recentiores hujus temporis, quod detur in Deo decretum antecedenter influens, et ex natura sua causans tales effectus; constat enim quod si effectus procedunt a solo Deo tota antecedentia influxiva, et causativa effectus debet teneri ex parte Dei, seu voluntatis ejus; Deus enim per voluntatem suam causat, quia operatur omnia consilio voluntatis suæ. Si autem effectus procedunt cum consortio causæ creatæ necessariæ, ipsamet determinatio, et necessitas causandi est conformis ipsi causæ, et sic antecedentia causalitatis, et influxus divini determinantis talem effectum in illa causa non impedit, sed potius conducit ad modum suum operandi; id enim ex natura sua postulat talis causa, scilicet determinate et necessario operari. Si vero effectus est liber, et exit a causa creatæ sine necessitate, et coarctatione ad unum, influentia Dei antecedens et determinans ipsam ad talem actum potius quam ad alium, vel ad oppositum, videtur impedire modum operandi causæ liberæ, quia si Deus illam determinat influentia sua antecedenti, et ipsa determinatur a Deo, non potest se ipsam determinare, nec tali modo quod possit illi influentiæ et determinationi Dei resistere, quia illa determinatio non est in manu sua, sed antecedens se, et vincens totam resistantiam suam, cum sit divina, et infallibilis illa influentia, et consequenter non conducit ad modum illum libertatis causæ creatæ. Restat ergo quod ut Deus servet illum, non debeat toto pondere efficacis suæ causam illam agere, nec antecedenti influentia determinare, sed ut mediis inclinantibus suaviter voluntatem, et sic agere sensum, ut etiam accomodet assensum ut dicit Augustinus. Hoc est ergo decretum in-

differens seu benignum, et non efficax ex natura sua, quod operatur efficaciter, non in vi suæ influentiæ, quæ omnino antecedit consensus, sed in vi mediorum quæ adhibet, et in vi consensus ex voluntate consecuti quem prævidet. Et quia in particulari circa actus liberos ut liberi sunt, obstare videtur ipsa libertas creatæ efficacis determinationis divinæ antecedentis, quia potest illi resistere, non est libera, ideo specialior difficultas est in adstruenda efficacis voluntatis divinæ circa actus liberos, quam circa alios effectus.

VARLÆ SENTENTIÆ.

III. Defensores scientiæ mediæ in eo indiscriminatim conveniunt, quod respectu actuum liberorum, ut liberi sunt, Deus non habet voluntatem efficacem antecedentem, quæ ex natura, et virtute causativa determinet actum liberum. Et ita coguntur peregrinari a divina influentia determinate et antecedenter causante libertatem nostram in actibus, ad media creatæ applicata a Deo, quæ, quia non sufficiunt voluntatem creatam exhaustire, et ad vivum determinare, sistunt in ipsa voluntate se determinante, et eligente ex omnibus illis mediis. Ea vero determinatione prævisa, decretum quoque Dei illi obsecundans, et decernens quod prævidit, infallibile, et efficax redditur præsentia, non causalitate. In hoc conveniunt. Et quantum ad hoc non possunt non ponere decreta natura sua indifferentia, id est, non virtute sua antecedenti determinantia causam liberam creatam.

IV. Cæterum in eo maxime laborant, et dividuntur, et, ut existimo, a nullo hactenus ad plenum satisfac-

tum est, scilicet in componendo et construendo isto decreto indifferenti, quid videlicet importet, quid connotet tale decretum indifferens; licet enim hoc habeat quod sua virtute influxiva non determinet voluntatem creatam, sed per media oblata ambiat eam inclinare, et tandem videat quid de facto operatura sit cum talibus mediis, et in tali occasione; et ex eo quod non sit influxiva determinationis causæ, indifferens dicatur in causando; tamen quia tandem necesse est Deum adhibere suum concursum et tamquam causam primam operari in nobis, merito dubium est quomodo decretum illud offerat indifferentem concursum, aut multiplicem, et quid offerat in illo quando indifferenter dicitur offerre, et quomodo. Et est ratio dubitandi, quia Deus non solum decernit vage, et in confuso concurrere cum causa secunda, etiam libera, sed determinate, et in particulari decernendo hic et nunc concurrere, alias providentia ejus esset valde imperfecta, et diminuta, si non decerneret et provideret in particulari concursum suum ad hoc potius quam ad illud, v. g. ad amorem potius quam ad odium, vel e contra, sed solum decerneret vage, et in confuso dare concursum ad amorem vel odium; ad providendum autem in particulari quod hic et nunc concurratur potius ad amorem quam ad odium, expectat determinationem causæ secundæ; sic autem non a providentia derivatur illa determinatio concursus, sed expectatur, et sic in vi suæ providentiæ, ut est ex parte Dei, nisi succurreretur a sua creatura determinante, maneret manca, et imperfecta providentia, non valens resolvere ultimam determinationem concursus, nisi succurratur a creatura, et dato, vel devorato hoc inconvenienti, insurgit aliud. Nam posita determi-

natione creaturæ, potest Deus suspendere suum concursum simultaneum cum illa, sicut cum igne suspendit, ne combureret pueros in fornace, et idem fecit cum multis aliis martyribus, qui non sunt combusti ab igne. Ergo concursus Dei non est alligatus determinationi causæ creatæ, ut ab illa determinetur vage illa et indifferens oblatio concurrendi. Nec potest decretum illud indifferens reddi efficax ex determinatione causæ creatæ, quia sic posita determinatione illius, non posset Deus suspendere suum concursum, quia jam efficax est: potest autem, ut fecit in igne, et potest facere in causa libera, etiam præventa in actu primo duplici cogitatione, et jam in pro-cinctu eliciendi actum: ergo non est decretum Dei ita indifferens, ut per determinationem causæ creatæ reddatur efficax, quia adhuc posita determinatione talis causæ potest Deus suspendere concursum suum ne agat, et sic inefficacem reddere determinationem illam. Rursus majus dubium. Quid est illa determinatio causæ creatæ, ut decretum illud indifferens reddatur determinatum, et efficax, ut v. g. concurrat potius ad amorem quam ad odium? Non potest esse ipse actus secundus amoris: nam hic determinat oblationem indifferentem concursus divini cum sit jam effectus concursus Dei, qui identificatur cum actu creatæ voluntatis. Est ergo aliquid antecedens actum secundum, et consequenter pertinens ad actum primum, quo voluntas creatæ determinat indifferentiam divini decreti et concursus oblatis, ut sibi detur potius concursus ad amorem quam ad odium, ita ut si illa determinatione posita negaret Deus talem concursum, violentaret causam inferiorem et esset miraculum. Quid est illud sic determinans in actu primo? Hic

fere stupent adversarii, quia est res inexplicabilis. Dividuntur, ut in re ardua fieri solet, in varia placita.

V. Et primo p. Molina in pluribus locis concordiae suae quaestione XIV, artic. XIII, disput. XXVI, §. Neuter, et disput. XXXII, §. Primum, et aliis locis quæ ipse repetit I p. quaest. XIX, art. VI, disput. III, affirmat Deum offerre concursum indifferentem, et generalem ad unum actum, et ad oppositum, quatenus de se est ad utrumque paratus, deinde vero a voluntate creata determinari speciem actus, ad quem Deus concurrat: de se enim Deus offert concursum indifferentem ad quemcumque actum, quem voluntas nostra determinaverit. Quod decretum conditionatum vocat Suarez prolegom. II de gratia, cap. VIII, et aliis locis, eo quod nihil in illo Deus absolute decernit, sed dependenter a conditione quadam, scilicet si voluntas se determinaverit. Et huic asserto Molinae plures subscribunt, quos adducit Villegas, contrav. XII, c. I: Alarcon tract. II de scientia Dei, disp. III, c. VIII, num. V. Illud addunt aliqui ex auctoribus istis, quod cum decretum illud offerendi tam diversum concursum voluntati, videlicet pro quocumque actu se voluerit determinare, non sufficit ut effectus de facto fiat propter indifferentiam suam, et dependentiam a determinatione voluntatis, necesse est subsequi aliud decretum, quod ipsi concomitans vocant, non prædefiniens, ut hic et nunc concurrat ad actum, quem determinavit, seu elegit voluntas. Per hoc enim decretum non antecedit Deus voluntatem nostram, sed simul cum ea concurrat, cum qua tamen non decrevit concurrere, nisi supposita ejus determinatione. Quod Suarez citato prolegomeno secundo attribuit Vasquez, Diotalevio, Pezantio, Cordubæ, Bellarmino, et aliis

multis, etiam attribuit Villegas citato loco, et tenet Alarcon citato paragrapho III, concl. IV.

VI. Cæterum displicuit p. Vasquez in hac prima parte, disp. LXV, c. II, num. VI et VII, et rursus disp. XCIX, c. V, hæc sententia de indifferentia concursus oblatis, et decretati a Deo sub hac generalitate, eamque etiam rejecit Suarez prolegomeno citato, et explicavit solum intelligi debere decretum illud de concursu indifferenti sic, quod Deus sit paratus concurrere, et offerat voluntati concursum ad plures actus, v. g. amoris, odii, consensus, aut dissensus, etc. non in confuso, et in communi, neque ad omnes actus in individuo possibiles, quos de qualibet illa specie potest elicere voluntas, sed in singulari ad hunc determinatum actum amoris, hunc determinatum odii, hunc actum consensus, vel dissensus, prout exercendum hic et nunc. Quo posito, superfluum docet illud secundum decretum de simultaneo concursu determinate et absolute dando, supposita determinatione voluntatis, sed illud prius decretum sufficere, quia posita electione, et determinatione voluntatis transit in absolutum, purificata conditione. Imo illud secundum decretum non potest intelligi quod sit absolutum ab omni conditione, et efficax, nisi sit etiam prædeterminativum voluntatis nostræ, et contra illud currant rationes, quæ ipsimet auctores faciunt contra decretum prædeterminans. Nam vel illud decretum est solum de concursu Dei simultaneo præstando, si voluntas concurrerit, vel est de præstando absolute illo concursu independenter a prævisione concursus voluntatis creatæ, et faciendo quod ipsa voluntas cooperetur, et non subtrahat, cum ex se posset. Si primum, adhuc est conditionatum et decretum, et sic non est aliud a primo. Si secun-

dum, est prædeterminativum voluntatis, quia absolute facit ut cooperetur secum independenter ab illa, et non est in potestate hominis cooperantis, quod tale decretum Deus habeat: ergo tollet libertatem ejus, aut argumenta contra prædeterminationem Thomistarum sunt nulla. Nec potest dici, quod illud decretum non est antecedens libertatem, sed in manu ejus, quia est post præscientiam consensus mei, et actus meæ libertatis, et sic est consequens libertatem, non antecedens. Nam contra est, quia non potest prævideri quid operatura sit voluntas, donec detur iste concursus determinatus et absolutus: nam ex vi illius indifferentis oblatis, non potest videri quid determinate operatura sit voluntas, si quidem deest unum requisitum ad operandum, scilicet hoc decretum absolutum: ergo sine ipso non potest prævideri determinata operatio voluntatis, aut si potest sine ipso, non est necessarium, sed superfluum ad operationem voluntatis.

VII. Propter hoc ipse Suarez prolegomeno citato existimat illud decretum indifferens concurrenti cum voluntate ad actum, ad quem se determinaverit, esse sufficiens per se ipsum, ut de facto, et determinate operetur voluntas cum illo, si determinaverit se, et purificaverit conditionem. Quia illud decretum non est ad concurrendum vage et in confuso, sed ad determinatos et singulares actus cum peculiaribus circumstantiis; et sic purificata conditione eligendi, et determinandi ex parte voluntatis, ipso decreto concurratur, quasi si esset absolutum, quia purificata conditione in absolutum transit. Unde non potest fieri instantia contra hoc decretum casu quo Deus velit denegare concursum suum causæ jam determinatæ, sicut negavit igni ad combu-

rendum in fornace Babylonis: nam cum Deus per illud decretum solum determinet concurrere ad particulares actiones cum particularibus circumstantiis, fit ut quando suspendit concursum suum, habeat etiam decretum in particulari non concurrendi cum ista causa in tali occasione, etiamsi si determinaverit.

VIII. Sed insurgit non minor difficultas contra istud decretum, tum ex isto casu denegandi concursum etiamsi se determinaverit voluntas, tum ex generali ratione. Ex casu quidem denegandi concursum, quia si Deus habet decretum denegandi concursum etiamsi voluntas se determinaverit: ergo habet decretum non concurrendi ad actum ad quem se determinaverit, sed non determinatur sine concursu, quia determinatio illa voluntatis est per aliquem actum, si quidem ante actum, totum quod est in voluntate, est indifferens et indeterminatum apud istos auctores, quia denegant prædeterminationem antecedentem in voluntate; ergo facit hunc sensum: habeo decretum non concurrendi, si concurrero cum illo actu, vel si ille actus fuerit sine concursu meo (quod est idem ac non esse illum actum, et illam determinationem) non concurram, et sic non concurrere si se determinaverit, est idem ac non concurrere, si se non determinaverit; si quidem determinare se sine concursu, est non determinare, quia determinat se per actum, non ante actum, et actus non est sine concursu.

IX. Et deinde, generali ratione loquendo etiam extra istum casum denegandi concursum causæ jam determinatæ ad operandum fit argumentum contra istud decretum Suarez conditionatum, inquirendo quid est illud, si se voluntas determinaverit, quando in decreto divi-